



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. V. An & quomodo ex metu facta, sint mixta ex voluntario & involuntario?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

DE VOLVNTARIO ET INVOLVNTARIO. 103

- principium passivum: unde inclinatio illa universalis quæ est in aqua ad ascendendum, nihil aliud est quam potentia obedientialis passiva, quæ naturaliter inest cuilibet enti creato, quæ tale est, ad recipiendum à Deo quicquid absolute non repugnat, ut docet D. Thomas loco supra laudato. Quare fictitia & imaginaria est virtus illa attractiva, quam ponit Vazquez in corpore superiori respectu inferioris, similis virtuti activæ quæ ferrum à magnete trahitur: nam vel talis virtus ribuitur rebus, solum quando imminent vacuum, & hoc est ridiculum, quia natura rebus providit de omnibus necessariis ad consistentiam universi: vel continuò inest rebus; & sic non solum quando imminent vacuum, trahentur sursum corpora gravia, sed semper & continuò, sicut magnes semper attrahit ferrum.
- Colliges secundò cum Divo Thoma h̄c art. 5.
90. violentiam causare involuntarium simpliciter: quia violentia directè opponitur voluntario, cùm violentum sit ab extrinseco, voluntarium vero ab intrinseco. Unde si reluctanti fœminæ prævalidus aliquis stuprum inferat, nihil ex eo quod patietur, ad eam noxæ pertinebit, uti Deuteronomio 22. sanctum legimus. Ita Christianas fœminas, quæ per Gothicam irruptionem, Romanâ caprâ, vim à Barbaris perpeccæ fuerant, solutus Augustinus lib. i. de Civit. cap. 17. quod inconcessa ac stabili permanente virtute, quidquid alias de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, prater culpam sit patientis.

Dices: Virgo dum à juvencie violatur, renitente ejus voluntate, violentiam patitur, etiamsi exteriùs non resistat, vel non resistat quantum potest: & tamen ille actus non est involuntarius, cùm in eo casu virgo mortaliter peccet, non resistendo, vel non resistendo quantum potest: Ergo violentia non causat semper involuntarium simpliciter.

91. Respondeo negando Antecedens quoad secundam partem: Quando enim virgo non resistit, vel non resistit quantum potest & debet, indirectè & interpretativè censetur consentire oppressioni, cùm non adhibeat media quæ potest ad illam evitandam: Unde ille actus non est violentus, sed voluntarius simpliciter, & involuntarius tantum secundum quid.

92. Sed quæres, quanam media externa teneatur apponere virgo ad resistendum oppressioni, ut inde dignosci possit, quandoman oppressio sit ipsi voluntaria interpretativè & indirectè, si talia media non adhibeat?

Respondeo cum distinctione: si enim virgo non timeat in se periculum consentiendi, & aliunde grave damnum vitæ vel honoris metuit, si clamet, vel aggressorem occidere tentet, non tenetur clamare, vel aggressorem interficere (quamvis licet utrumque possit, eò quod id praetet in sui defensionem) quia tunc resistere aggressori est præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper, nec cum tanto periculo: si vero credit probabiliter se esse expositam periculo consentiendi, tenetur omnibus modis, etiam cùm vitæ aut famæ dispendio, resistere, clamando, & aggressorem occidere tentando: quia præceptum negativum de non consentiendo actui illicito, obligat semper, & ad semper: unde tandem concludendum est, cum Curiele, quod quia raro contingit, ut in tali casu non immineat periculum consentiendi, debent tunc vir-

A gines omnibus modis resistere; & ita semper ipsis consulendum est.

ARTICVLVS V.

An & quomodo ex metu facta sint mixta ex voluntario & involuntario?

S. I.

Prima pars quæstii resolvitur.

B **D**ico primò: Quæ per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario & involuntario.

Ita Divus Thomas h̄c art. 6. ubi hanc conclusionem probat tum ex Philosopho, & Niseno, qui ea quæ per metum aguntur, appellant mixta ex voluntario & involuntario: tum etiam quia ea quæ per metum aguntur, secundum se non sunt voluntaria, immo sunt involuntaria, sed sunt voluntaria ex metu, ad vitandum scilicet malum quod timetur: v. g. mercator absolute, & absque periculo tempesfatis, nollet projicere merces in mare; tempore tamen tempesfatis, ad fugiendam mortem que timetur, vult eas projicere, & de facto projicit in mare: Ergo quæ per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario & involuntario.

Adde quod in objecto actus ex metu facti, reperiuntur ratio malorum & ratio boni, sufficientes ad caufandum nolitionem & volitionem, quæ sunt principia voluntarij & involuntarij: v. g. in hoc quod est projicere merces in mare, est ratio malorum, ut patet, cùm ex hoc mercator maximum damnum incurrit; & ratio boni, cùm affumatur ut medium ad conservandam vitam, seu ad evadendum mortis periculum.

Verum ut hæc conclusio magis declaretur, &

quædam instantiæ, quæ fieri possent in contrarium, diliuantur. Observandum est primò, quod cùm dicimus metum cauare actum mixtum ex voluntario & involuntario, non sic intelligendum est, quasi ipse metus causet in actu utramque rationem; hoc enim impossibile est, cùm rationes oppositæ non possint provenire ab eodem principio; sed intantum dicitur metus cauare involuntarium, inquantum causat actum in quo involuntarium reperitur, causatum tamen ex amore ad illam rem qua propter metum postponitur. Sicut si dicamus, quod anima, vel virtus motivæ animalis, causat metum mixtum ex naturali & violento, non est sensus, quod potentia motiva, vel anima causet in tali motu rationem violenti (hæc enim ratio desumitur per ordinem ad corpus grave, cui progressivus vel volatilis motus violentus est) sed significatur quod illa causat motum, in quo utraque ratio reperitur; naturalis scilicet (utpote cùm à principio intrinseco, nempe ab anima & virtute motivæ procedat ipse motus) & violenti, per ordinem ad gravitatem corporis.

Notandum est secundò, quod metus dupliciter potest se habere ad actionem, caufaliter scilicet, & concomitanter: Tunc se habet caufaliter, quando est vera causa talis actus, ita ut ex metu moveatur homo ad sic operandum, ut cùm quis ex metu mortis offerte pecunias latroni, vel projectat merces in mare: Tunc autem se habet merè concomitanter, quando reperitur

simul cum actione, sed non est causa impellens & movens ad illam; sicut Martyres cum metu mortis fidem confitebantur, non tamen ex metu, sed ex Dei amore & obedientia. Quae sunt primo modo, dicuntur fieri ex metu, vel per metum; ista enim particulae ex & per causalitatem denotant: quae vero sunt secundo modo, dicuntur fieri cum metu, sed non ex metu, vel propter metum; particula enim cum solam concomitantiam & simultatem designat, non vero influxum & causalitatem. Quando ergo dicimus, ea quae sunt ex metu esse mixta ex voluntario & involuntario, non loquimur de metu concomitante tantum (hic enim, ut diximus, non influit in actionem) sed de metu qui est vera causa actionis, & qui in illam influit, non quidem physicè & efficienter, sed moraliter & objectivè, quatenus mediante propositione obiecti terribilis, v. g. mortis, seu naufragij, movere voluntatem ad sic operandum: in quo differt metus à violentia; nam violentia, seu vis extrinsecus illata, efficit ipsam actionem, voluntate reniente; metus vero non efficit sine voluntate, sed movere duntaxat voluntatem ut agat.

57. Denique advertendum est, quod metus duplíciter potest esse causa alicujus actionis, uno modo partialiter, alio modo totaliter: tunc est causa partialis alicujus actionis, quando concurrit ut impellens & adjuvans ad illam simul cum aliis, propter quod, etiam cessante metu, fieret actio: tunc vero est causa totalis, quando solus metus causat actionem, atque adeò cessante metu actio non fieret, quia præcisè sit propter metum: v. g. incurrit ab aliquo scario gravis metu mulieri inhonestæ, & mulieri honestæ, ut coéant secum, ex quo utramque consentit fornicatio; talis metus respectu mulieris fornicaria causa est illius actus, sed non totalis, eo quod talis mulier, cessante etiam illa causa, quia fornicaria est, coéret cum illo: sed respectu mulieris honestæ, & quae alias cessante metu non consentiret, metus est tota causa quare consentit. Nofra ergo conclusio intelligenda est de metu, qui est causa totalis actionis, seu totale motivum aliquid operandi; non vero de metu qui est causa duntaxat partialis, seu partiale motivum; hic enim non causat actum mixtum ex voluntario & involuntario, bene tamen alter, ut patet in exemplo adducto: Fornicatio enim in prima muliere censetur omnino voluntaria, eo quod non omnino procedat ex metu; in secunda vero est mixta ex voluntario & involuntario, quia metus est causa totalis talis actus. Unde si quis partim ex timore gehennæ, partim ex ipsa honestate operis, vel ex affectu charitatis, legem Dei observaret, talis observantia non esset mixta ex voluntario & involuntario; bene tamen, si ex solo timore illum servaret, modo statim explicando.

58. Objetatur ergo contra nostram conclusiōnē difficile argumentum. Quando quis metu pœnarum inferni legem observat, talis observatio nihil habet involuntarij aut displicientiæ, alias esset mala & viciosa, quod repugnat Tridentino less. 6. can. 8. & less. 14. cap. 4. Ergo quae sunt ex metu, non sunt mixta ex voluntario & involuntario.

59. Mirum est quantum hoc argumentum Theologos torqueat, & in quam variis dicendi modis eos inflectat: superfluum esset eos referre

A & impugnare, satius erit legitimam solutionem tradere. Dicendum est igitur, in observatione legis facta ex solo metu gehennæ, esse aliquid involuntarij & displicientiæ, & nihilominus timorem illum non esse malum, nec vitiosum, ut definit Tridentinum locis citatis. Pro quo nota, in praedicta legis observatione posse considerari, vel actionem quæ præcipitur, materialiter & in esse rei, vel rationem formalem præceptæ, quæ importat applicationem divinae legis ad illam; hoc secundo modo semper est illicita ejus displicientia, quia divina lex nihil habet mali, ratione cuius posit liceat respici: primo vero modo potest esse licita; quia res præcepta potest afferre aliquid laboris & fastidij, quod secundum se consideratum, non habito respectu ad legem divinam, potest licitam displicientiam terminare; ut patet in dolore & tristitia quam Christus habuit in horto olivarum, non quidem de observatione præcepti moriendi, sibi à Patre impositi, sed de difficultate & molestia operis sibi præcepti, secundum se & præcise sumptu. Unde tantum absit quod talis displicientia observationis præcepti reddat illam peccaminosam aut vitiosam, quin potius soleat meritum augere: nam quod major est repugnantia ad opus præceptum, propter ejus difficultatem & laborem, eodem major virtus & meritum splendent in exequendo illud, & superando prædictam difficultatem.

C Secundò dici potest, metum non semper causare involuntarium secundum quid, sed solum quando objectum est malum secundum se sumptum, & non tantum ut hic & nunc consideratum: sicut projicere merces est bonum mercatori, ex suppositione solum quod sit tempestas, & immineat vita periculum, sed abstrahendo à tali circumstantia est malum; & idem voluntas non vult eas projicere sub hac consideratione. Ceterum quando objectum non est malum secundum se, sed absolutè bonum, voluntas non potest habere actum nolitionis circa ipsum. Et hoc reperitur in casu argumenti, nam observatio mandatorum est per se bona, & nullo modo mala, etiam abstrahendo à periculo gehennæ inferni; & idem observatio facta ex timore, non est involuntaria secundum quid.

Quæres, an ad hoc ut ea quae per metum aguntur, sint mixta ex voluntario & involuntario, requiratur aliquis actus conditionatus, qui sit nolitus inefficax illius medij, quod hic & nunc eligitur ad vitandum majus malum quod timeatur? v. g. an ad hoc ut projectio mercium sit mixta ex voluntario & involuntario, necessarius sit actus conditionatus & inefficax, quod mercator nollet projicere merces, si non imminueret periculum vita?

E Respondet affirmativè, quicquid in contrarium dicat Curiel huc dubio i. s. 2. afferens projectio nem mercium denominari involuntariam secundum quid ab amore mercium; atque adeò non esse necessarium actum illum conditionatum, qui sit nolitus projiciendi merces secundum se spectatas.

F Probatur breviter: Nam sicut projectio mercium remota tantum & radicaliter redditur voluntaria simpliciter per actum, quod mercator vult vitare naufragium, formaliter vero & proxime per volitionem efficacem projiciendi illas, ex priori actu causatam; ita amor, seu volitio conservandi merces secundum se consideratas,

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO. 105

federatas, potest quidem remotè & radicaliter reddere eandem projectionem secundum quid involuntariam, sed non formaliter & proximè: Ergo ponendus est alias actus, ex amore mercium ortum habens, qui tribuat proximè tamē denominationem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Quia universaliter volitus finis denominat tantum ipsum finem formaliter volitum; media verò radicaliter tantum & remotè; unde oportet ponere aliquem actum qui directè tendens in ipsa, denominet illa proximè & formaliter volita, seu voluntaria: Atqui fuge re projectionem mercium, est medium in ordine ad possessionem & conservationem illarum; sicut projicere illas est medium ad conservandam vitam: Quemadmodum ergo ex amore vita oritur volitus absoluta & efficax projiciendi merces, ita ex amore mercium nascitur actus, quò mercator vellet, si esset possibile, eas conservare. Sicut Christus volebat vivere, si hoc esset possibile juxta Patris voluntatem: sed quia sciebat Patrem velle & præcipere mortem, absolutè volebat mori.

103. Dices, Non est necesse in violento, quòd concurredit duplex actus, ut aliquid sit mixtum ex violento & naturali: Ergo neque in metu, ut res sit mixta ex voluntario & involuntario. Consequentia patet à paritate rationis: metus enim quādam violentia moralis est; unde qui alle gent se fecisse aliquid ex gravi metu, violentiam allegant. Antecedens probatur in motu progressivo animalis, ubi elevatio pedis est violentia illi corpori in quantum gravi, & est naturalis eidem ut viventi; & tamen non est ibi duplex actus vel motus, sed unus tantum quò animal movetur: Ergo ut aliquid sit mixtum ex violento & naturali, non requiritur duplex actus.

104. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia violentum non inventur in actibus elicitis & internis voluntatis, ut vidimus articulo præcedenti, sed in actu externo & imperato, atque adeò executivo voluntatis: non potest autem in actu executivo inveniri duplex motus, unus absolutus, alter conditionatus; quia cùm sit motus in executione, omnino absolutus est: & hac ratione etiam in actione exteriori facta ex metu non datur duplex actus, sed tantum unus: v. g. in ipsa projectione mercium, unus tantum motus datur, non duplex; unus ad præcidiendum, alter ad non præcidiendum. Voluntarium autem, & involuntarium, non solum in actibus externis & à voluntate imperatis, sed etiam præcipue in internis & elicitis reperiuntur; unde in metu non repugnat dari duplex actus elicitum & internum, quò voluntas efficaciter & inefficaciter ad idem objectum diversimode consideratum terminetur.

105. Dices rufus: Vel ille actus à quo projectio mercium denominatur involuntaria secundum quid, est conditionatus ex parte objecti, vel ex parte actus? Si ex parte actus, nondum datur de facto, sed dabatur si ponatur conditio: si ex parte objecti, talis actus est absolutus ex parte voluntatis, & sic projectio mercium erit absolute voluntaria & absolute involuntaria, quod implicat.

106. Respondeo, actum illum esse conditionatum solum ex parte objecti, & absolutum ex parte potentiae. Ad probationem in contrarium di-

A cendum est, quòd licet repugnet projectionem mercium esse absolute voluntariam, & absolute involuntariam, si ly absolute usurpetur pro perfectè seu efficaciter; non tamen si accipiatur pro actu absoluto quidem ex parte potentiae, sed imperfecto & efficaci: quamvis autem asseramus illam volitionem projiciendi merces esse in seipsa absolutam, & conditionatam solum ex parte objecti, non tamen ponimus esse efficacem.

Instat Curiel, & ait esse valde difficile, & forte improbabile, quòd ille qui videt periculum submersione præsens, & judicat non posse vitari, nisi projiciendo merces, & propterea efficaciter vult illas projicere, & de facto projicit, eodem tempore hunc actum inefficacem elicit; nolo projicere merces si tempestas non detur, vel si non adsit vitæ periculum: Ergo talis actus admissus non est.

Respondeo, negando Antecedens: Nam etiam Deus videns quandam hominem reprobum infallibiliter esse damnum, & consequenter habens actum quòd vult efficaciter ipsi denegare gloriam; simul tamen haber voluntatem antecedentem & inefficacem de ipsius salute, absolute & secundum se, seu præcisus circumstantiis, considerata, ut in tractatu de voluntate Dei fuisse ostendimus. Est tamen hæc differentia inter Disp. 4. art. 3.: hoc exemplum, & nostrum propositum, quòd in Deo, ratione infinitatis, idem actus qui est volitus efficax denegandi gloriam reprobo, est volitus conditionata ex parte objecti ipsum salvandi; in nostro autem proposito debent poni duo actus distincti.

S. II.

Alia difficultas expeditur.

D Ico secundò: Quæ ex metu sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria tantum secundum quid.

Ita D. Thomas h̄c art. 6. ubi sic discurrevit. Illud quod est voluntarium h̄c & nunc, ponderatis omnibus circumstantiis, & involuntarium solum secundum se, abstrahendo à circumstantiis, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid: Sed opus factum ex metu est voluntarium h̄c & nunc, ponderatis circumstantiis, & involuntarium consideratum secundum se: Ergo est voluntarium simpliciter, & involuntarium tantum secundum quid. Minor patet in exemplo supra adducto projectionis mercium. Major autem probatur ex discrimine quod omnes admittunt inter intellectum & voluntatem, & inter objectum utriusque: nam intellectus trahit ad se res præcisè quantum ad quidditatem, & objectum ipsius est quidditas rei materialis, abstrahendo ab omnibus conditionibus individuantibus: At verò voluntas tendit ad res ut sunt in se, & objectum ejus est res ipsa involuta suis omnibus conditionibus, & ut est h̄c & nunc.

Confirmatur: Quod est volitus efficaciter & absolute, nolitus verò inefficaciter & conditionatus solum, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid: At opus factum ex metu, est volitus efficaciter & absolute, & nolitus inefficaciter solum & conditionatus, ut patet ex supra dictis: Ergo est voluntarium simpliciter, & involuntarium tantum secundum quid. Unde quando S. Thomas 2. 2. qu.

○

Tom. III.

DISPV TATIO PRIMA

142. art. 3. docet id quod fit ex metu, simpliciter A non esse voluntarium, sumit illam particulam *simpliciter*, prout idem significat ac purè & non permixtè; & solum intendit docere, id quod fit ex metu, non esse purè voluntarium, sed mixtum ex voluntario & involuntario, ut patet ex verbis illius, sic enim ait: *Quæ sunt ex timore principium habent ab exteriori impellente; unde non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta, ut dicitur in 3. Ethicorum.*

S. I I I.

Corollaria ex dictis.

III. **E**X dictis colligitur primò, in his qua metu fiunt, esse sufficiens voluntarium ad peccatum mortale; nam illa sunt voluntaria simpliciter & absolutè, quamvis aliquid involuntarij habeant admixtum: Ergo metus non excusat totaliter à culpa, licet eam diminuat, & levius peccatum faciat, ac mitiori pœnâ plectendum. Sic adversus Christianos illos, qui in persecuzione, metu ac terrore vel cruciatu fracti, cesserant, tolerabilius est poenæ modus constitutus, quam in eos qui sponte deliquerant, ut in Anzyrana Synodo & Nicæna, aliisque factum esse scimus. Sic etiam Lucretiam illam, cuius à Gentilibus impensè est commendata castitas: *Fortasse juveni violenter irruenti, etiam suâ libidine illam confessisse.* Suplicatur Augustinus lib. i. de civit. cap. 9. eamque non violenter oppressam, sed metu dedecoris, vietam esse obstinatam pudicitiam, innuit Poëta, hoc verfu,

Succubuit fama vietta puella metu.

Quare non dubia est illius culpa, sed cui facilius possit ignosci, quod invita & ex metu consensit.

II. Colligitur secundò, contractus ex metu factos, jure naturali non esse irritos; quamvis jure positivo aliqui irritentur, quando metus est gravis & injurious, seu cadens in virum constantem, ut loquuntur Theologi. Ratio est, quia metus de se & ex natura sua non facit involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid: Ergo non soluit valorem contractus ex defectu voluntarij, & ipso jure naturæ.

III. Confirmatur: Non requiritur major voluntas aut libertas ut contractus valeat, quam ut peccatum mortale fiat: Sed voluntarium ex metu sufficit ad peccatum mortale, ut jam vidimus: Ergo & ad valorem contractus, quantum est ex ratione voluntarij, & juris naturalis.

IV. Veruntamen jure positivo irritantur plura, quæ fiunt ex metu gravi & cadente in virum constantem: v. g. jure positivo matrimonium contractum ex metu, nullum est, ut constat ex cap. *Locum*, & ex cap. *Veniens de sponsalibus*. Idem est de voto solemnzi, ex metu gravi emiso, E ut patet ex titulo: *De his qua vi. metu/ve causâ fiunt*, & ex Tridentino fess. 25. de Regularibus cap. 19. ubi conceditur ut Religiosi ex metu professi, possint intra quinquennium reclamare, & si probaverint professionem ex metu esse factam, quod sit nulla. Quantum vero ad votum simplex ex metu factum, non sic irritatur à Jure, ut annotavit Sylvester in summa, verbo *Metus*: quia scilicet non habet exteriorum traditionem, sed tantum interiore promissionem seu consensum, qui per metum extorqueri non potest. Econtra igitur votum solemnzi, cum non solum habeat id quod est interioris consensus, sed

A etiam quod est exterioris mancipacionis & traditionis, quatenus fit per modum contractus cum Ecclesia, & spiritualis matrimonij, aut servitutis; ideo voluit Ius ut pari modo fieret liberè & sine metu; sicut matrimonium, quod non solum consummatur interiori consensu, sed exteriori etiam traditione, ut sumitur ex cap. *Puelle* 20. qu. 1. & cap. *Cum virum* de regularibus. Plura quoque alia ex metu facta Jure positivo irritantur, ut electio Pralati, iurisdictione data vel propagata ex metu, absoluto ab excommunicatione, metu facta &c. ut videri potest apud Sylvesterum loco citato.

B Porro illa omnia à Jure irritantur, primò ob vitandas lites, aliaque inconvenientia, quæ ex his qua metu cogente fiunt, sequi solent: secundò, quia sepissimum contingit deesse in his consensum verum, quantumvis verbis externis profertur: tertio, in pœnam illius qui injuriosè metum incutit: meretur enim ut effectu caret quod per injuriam extortum est.

Ex his facile solves argumentum, quod contra secundam conclusionem in hunc modum fieri solet: Matrimonium & votum solempne sunt invalida, si fiunt ex metu in constantem virum cadente: Ergo non sunt voluntaria simpliciter. Consequens patet: nam omne matrimonium, & omne votum simpliciter voluntarium, debet esse validum.

Ad hoc, inquam, patet responsio ex iam dictis: concessio enim Antecedente, neganda est Consequentia. Ad cuius probationem, distinguuntur Antecedens: debet esse validum per se loquendo, & attento Jure naturali, conceditur: per accidens, & attento dispositione Juris positivi, negatur. Potest enim Ecclesia ponere quadam conditions, sine quibus votum aut matrimonium non sint valida, inter quas una est, quod fiunt sine metu: sicut etiam in matrimonio aliam statuit conditionem, quod scilicet fiat coram parrocho & testibus; ideoque matrimonium clandestinum, licet voluntarium, est invalidum.

Potest etiam objici contra eandem conclusio- D nem, quod metus gravis excusat à culpa transgressionem legis; & ideo non peccat, qui ut viet grave malum, omittit Sacrum in die festo, aut frangit Ecclesiæ jejunium: Constat autem transgressionem legis non aliter culpâ vacare, nisi quia non est voluntaria: Igitur metus tollit voluntarium simpliciter.

Sed respondet negando Antecedens, si intelligar de transgressione formalis legis; existente enim hujus obligatione, nullus metus excusat simpliciter à culpa, licet eam diminuat: propterea vero non servans jejunium, vel non audiens sacrum, ob metum gravem, non peccat, quia tunc cessat obligatio legis; et quod leges humanæ, & etiam aliqua divina, non obligent, nisi cum possint commode observari; cum vero non possint absque gravis mali periculo, cessat obligatio, & consequenter formalis earum transgresio.

